

KNY-18-00412

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICAE  
DE

# FEBRE ASODE

---

QVAM

SVMMI NVMINIS AVSPICIO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

FRIDERICO CHRISTIANO

MARGGRAVIO BRANDENBURGICO BORVSSIAE  
SILESIAEQVE DVCE RELIQA BVRGGRAVIO  
NORIMBERGAE RELIQA

---

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
P R A E S I D E

D. HENRICO FRIDERICO DELIO

SERENISS. MARGGRAV. BRANDENB. CVLMB. CONSIL. AVL.  
MEDICINAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO  
ACADEM. IMP. NAT. CVR. NEC NON REG. SOCIET. SCIENT.  
MONSPELIENS. ET ACAD. SC. ET ART. RHOTOMAG. SODAL.  
FACVLTAT. MEDIC. H. T. DECANO

---

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS LEGITIME OBTINENDIS  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

P A V L L V S L I P S Z K Y

TRENTSINIO HVNGARVS.

---

D. APRIL. M D C C L X I I I I.

---

ERLANGAE

LITTERIS WALTHERIANIS.

HEBENSTREIT

de hom. san. et aegrot. Carm.

p. 142.

Certo

*Anxius esse loco. nescit miserabilis aeger,*

*Lucta viget, criticique docent in corpore motus,*

*Affore nunc fluxus criticos, causamque moveri.*

KNY-18-00412





Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
FEBRE ASODE.

---

PROOEMIUM.



*I*nter tot adfectus morbosos, quibus genus hu-  
manum affligi solet; maxime is eminent, quem  
FEBREM vocare solemus. Quodsi enim eum  
penitius considerabimus, statim reperiemus,  
nullum esse tam vniuersalem, familiarem, et fonticum, quam  
hunc morbum; ita vt nulli aetati, nulli temperamento, nul-  
lique sexui, pro occasionis subministracione, parcat, omnes re-  
giones, omnique, nunc magis, nunc minus, infestet tempore,  
et ex quo tres fere hominum partes, recte monente Clar.  
SYDENHAMO, absumantur. Nec mirum profecto, nascitur  
enim a tam numerosissimis, atque variis causis; vt vix pru-  
dentia humana euitare possit, quanquam operam demus, vt

rebus sic dictis non naturalibus legitime utamur, ne quis a Febre, saltem una ex tot eius speciebus, tota sua vita immunis maneat, nisi violenta e medio eripiatur morte. Quin epidemice haud raro grassatur, multosque simul magna corripit atrocita, ac medentibus multum faceffat negotii. Quemadmodum vero frequens et familiaris est hic morbus: ita etiam grauissimus saepiuscule, teste experientia, reperitur, quando abdita nimis Febrium natura, caussaque saepe intricata, complicataue est, tamque diuersis stipatur symptomatibus, ut non semper facile sanari, medicamentisque superari possit. Nec cuiquam ignotum erit, quod in hoc morbo vniuersum reuolarum partium systema vehementer adficiatur, omnesque in corpore humano functiones grauiter peruertantur, ut, pro re nata, nec solidorum, cordis et arteriarum, motus aequabilis sit, atque legitimus, nec sanguinis, reliquorumque humorum progressus liber et naturalis, nec saluberrimae secretiones atque excretiones, recte succedant, neque etiam ipse animus sibi constet, sed quandoque, Febrili motu turbatus, deliret. Verum tamen non de omnibus febrium speciebus, ita prorsus iudicandum esse, affirmo. Quandoque enim, etsi tam infestus, atque perniciosus, videatur morbus, salutarem tamen praestat effectum, superueniens aliis grauibus, et longis morbis, quorum caussa, hucusque inexpugnabilis erat. Perhibent id satis abunde obseruationes, eaeque solidae, quod valetudinarii, post Febrem quandam, firmam et longam adepti fuerint sanitatem. Testatur quoque Diuus Senex, atque CELSVS, et longa edocti experientia affirmant, Febrem medicinam, et morborum praesidium esse, quo magni etiam morbi, uti Apoplexia, Epilepsia, Motus Conuulsui, Affectus Hypochondriaci cet. exorta scilicet hac salutari reuolutione \*)

\*) Conf. vberiore deductionem, in ILLVSTR. PRAESID. Diff. de reuolutionibus morbos. §. 23. sq.

curantur. Quum tamen Febrium variae dentur species, quibus singularae, ratione sedis, genii, typi, peculiarium symptomatum, et methodi medendi, inter se differunt; nunc speciem saltem earundem quandam, videlicet FEBREM ASODEM, tanto lubentius, pro modulo virium mearum, speciminis loco pertractandam assumsi; quanto magis mihi videbatur, pauca adhuc de hac specie publici iuris facta esse, licet frequentissime haec species in praxi occurrat Clinica. Faxit igitur benignissimum Numen, ut feliciter cedat conamen, suffulciat vires, ut hoc quaecunque opusculum, in sanctissimi nominis sui gloriam, proximi commodum, atque emolumentum vergat.

## §. I.

**V**ox *Asodes* a plerisque ab *ασδομαι*, nauseo, in quo nonnulli signa geminant, et *Assodes* scribunt, et *εϊδος* forma, deriuatur. Alii illud *ασδομαι* per exaresco, sicco, exprimunt. Vt itaque, si priorem sententiam spectes, ad nauseam praecipue, si alteram, ad stricturem periphericam, hinc ad exarescentiam quandam, respexisse antiquos Medicinæ statores, inde eluceat. Vtraque autem sententia affectui, quem nunc proponimus, fauer. Characteres enim, seu signa eius, e quibus cognoscitur, ex symptomatibus praecipue haec iuntur. Haec sunt: summa anxietas, actus, inquietudo, corporis iactatio, nausea, sitis, creber conatus vomendi, linguae ariditas, singultus, vertigo, dolor grauis tensius, maximeque in scrobiculi cordis regione \*), ipsius cordis palpitatio, saepe delirium.

\*) Conf. Comp. Med. de GORTER Tract. 52. §. 47. HEISTER Prax. Handbuch. p. 93.

## §. II.

Praemissis igitur signis veris, quae nobis notas exhibent, ad Febrim Afodem cognoscendam, atque ab aliis discernendam, eo facilius eiusdem idea formari potest, distincta atque completa. Scilicet Febris Afodes saepiuscule intermittens, et continuarum Februm comes est, adeoque febris species, in qua aegri, singulari anxietate, nausea, conatu vomendi, singultu, cibique fastidio, et aliis §. I. consignatis, vexantur pathematibus. Diuus etiam HIPPOCRATES, febres eas, in quibus aegroti angoribus conficiuntur, et male sese habent, nomine *αρώδες* cognominavit. GALENVS quoque Lib. IV. *de sanitate tuenda*, perhibet, Afodes illud esse, quod ventriculum affligit, et vires deiicit: vt plura raceamus loca, vbi haec vox, eodem sensu occurrit.

## §. III.

Anxietates, seu ingratae illae perceptiones, quae verbis vix explicari queunt, si nunc ab iis, quae mentem proprie tangunt, abstrahimus, varias omnino supponunt causas materiales, vt plethoram, vel quoad vasa, vel quoad vires, polyposas concretiones circa vasa maiora cordis, tumores scirrhosos, mucum, vel etiam purulentam, imo saniosam, materiam, bronchia et vesiculas pulmonales obsidentem, et complura alia, quae liberum sanguinis circuitum, et liberam respirationem, impedire valent. De his tamen hoc loco ex instituto non agimus, verum praecipue de anxietate, tanquam symptomate Febrili.

## §. IV.

Quodsi in sedem affectus huius molestissimi inquiretur, facile omnino, propter obuia symptomata, primo intuitu

tuitu in thorace quaeri possit, cum experientia loquatur, omnem anxietatem, quamcumque demum agnoscat causam, respirationem impeditam comitem habere. Sed cogitemus quaeso, non semper in ea corporis parte, vbi ingratus aliquis sensus, et turbatio functionum adest, causam morbi haerere, sedemque suam ibidem proprie habere: verum in alio, vt saepissime fit, nidulari loco, atque per consensum partium, praecipue vasorum sanguiferorum, et neruorum, actiones corporis humani laedere, variaque, pro loco affecto, producere posse symptomata. Equidem nullatenus diffiteor, vt ex sequentibus patebit, anxietatis causam, quandoque in vitalibus etiam haerere visceribus, corde nempe, et pulmonibus; adeoque haec viscera pari idiopathice. Sed tamen aliunde quoque deriuanda ea causa est, prouti quoque BOERHAAVIUS \*) iam duplicem anxietatis febrilis rationem statuit; quarum vna impeditum sanguinis circulum, siue egressum ex corde, et difficile transitum per extrema arteriae pulmonalis vasa, pro sua agnoscat causa: altera vero in hypochondriis sedem suam habeat.

## §. V.

Nostra igitur opinione, causa anxietatis febrilis, cum magno fastidio et inquietudine iunctae, in ventriculo potissimum, atque intestinis, inprimis duodeno, residet \*\*). Priusquam vero in huius affectus sedem, ac ortum penitus descendam, conuenientissimum, imo plane necessarium mihi videtur, paucis de consensu ventriculi, atque intestini duodeni, commemorare verbis, vt eo melius symptomata hic occurrentia percipi, atque explicari queant.

## §. VI.

\*) Aphor. de Cognosc. et Curand. morb. §. 631. et 632.

\*\*\*) Singularem febrem *tritaeophiam* assodem a saburra, et aqua cannabe

macerata infecta, descripsit LANCISIVS, et ex eo Cel. de SAVVAGES *Nosolog. Method.* Tom. II. p. 297.

## §. VI.

Inter viscus illud alimentare, et plures alias corporis humani partes, magnum intercedere consensum, Anatomia exquisitor satis abunde comprobat. Ex Neruo enim Intercoastali et Pari Vago, qui varios constituunt plexus, et vario simul implicantur modo, accipit ventriculus suos nervos, hincque cum cerebro, medulla spinali, faucibus, arteria aspera, corde, pulmonibus, hepate, diaphragmate, ipsisque intestinis, *cet.* multo conspirat sensu, cuius fiendi modus, et varia organa, alibi vberius ostenduntur \*). Ex numerosis itaque, praesertim circa orificium superius, nervis, satis luculenter apparet, ventriculum exquisito et delicato plane sensu instructum esse; et vix vllam partem in vniuerso corpore humano reperiri, quae tam conspicuam ac intimam cum variis, et singulis fere, nervosis corporis partibus, et organis, harmoniam alat.

## §. VII.

Eundem autem ventriculi consensum, cum vniuerso nervorum systemate, non obscure declarant paroxysmi februm intermitrentium tertianarum, praecipue non satis legitimarum et spuriarum, imo quotidianarum. Procul enim omni dubio harum februm minera primis in viis delitescit, quae grauia et varia simul inuehit pathemata, et veluti reliquum corpus, sic et praecipue pulmones, alterat. Quid enim solennius est, quam a cruditate, et materia viscida varia, ventriculum obsidente, vel ab acri, eius membranas irritante, Tussim nasci stomachalem; vnde pectus trahitur in consensum \*\*). Nihil quoque frequentius occurrit,

\*) V. HENR. IOS. REGA de Sympathia seu consensu corporis humani, ac potissimum ventriculi, in statu morbofo. *Harl.* 1721.

\*\*) Conf. ILLYSTR. PRAESID. Diff. de Consensu Pect. cum Infimo ventre, §. 31. *Idem* *monstrans* (\*)



currit, quam vt a ventriculo, cibus nimium repleto, vel flatulentia distento, summa oriatur spirandi difficultas, praecordiorum anxietas, cordisque palpitatio \*). Dum enim ventriculus magis quam par est distenditur, orificium eius sinistrum, siue cardia, spasmō constringitur; tunc nervorum coniugationes, quae ex pari vago, item ex intercostali, ad ipsum feruntur, molesta tractione, tensione, in partibus diuersis, quas transeunt, varia et graua inuehunt pathemata; sicuti quoque illae partes rite valent, hoc orificio rite constituto, vel etiam grato modo affecto: vt itaque non morbose semper inter se consentire partes iudicandum sit, sed in statu sano quoque, ob tot functionum communionem, sibi inuicem suppetias ferre.

## §. VIII.

Demonstrant porro satis clare, ventriculi cum omnibus corporis neruosis ac sensilioribus partibus intimam conspirationem, et subtiliorem sensum, tam ipsa venena, atque mutationes corporis, ex eorundem actione, pendentes, siue ea e regno vegetabili, siue minerali, siue animali sumantur; quam etiam medicamina. Illa enim tunicas ventriculi sensiles irritant, ac rodunt, vomendi conatus, vomitus ipsos, praecordiorum anxietatem, spirandi difficultatem, inquietam corporis agitationem, et complura porro alia prognerant symptomata. Haec vero simul ac in ventriculo contingunt, effectum etiam in distitis partibus exerunt. Liceat pro vltiori dictorum confirmatione producere opium, primarium remediorum sedantium. Huius parca quantitas simul ac accipiatur, sedare do-

\*) l. c. §. 30. et *Diff. de Pathem. a flat. caus. occult. oriund.* Erl. 1759. §. 7. 9. 10. sequ.

dolores solet, et dormiendi adfert cupidinem. Liquoris quoque Anodyni proportionata dosis sumpta, dolores et spasmos, per ventriculum ad alias corporis partes delatos mitigat, et in graui cardialgia, enormi vomitione, singultu, et aliis quam plurimis oblatus pathematibus, praesentaneum plane praestatur auxilium. Nitrum quoque, quo vix securius, vel maius antispasmodicum, datur, asserti veritatem euincit. Parua enim dosi, in febre, vel ardore inflammatorio sumptum, mox refrigerationis sensum, per vniuersum corpus diffundit. Quae cuncta explicari nequeunt, nisi assumamus ventriculi, cum reliquis partibus, consensum.

## §. IX.

Intestinum duodenum satis arcto etiam gaudere consensu tam cum ventriculo, quam cum connexis ductibus biliaris, hepate, pancreate, *cet.* anatomia quoque testatur. Rami enim paris vagi, qui praecipue orificium ventriculi dextrum circumdant, et plexum postea coronario-stomachicum formant, cum plexu hepatico, a ganglio semilunari dextro oriundo, hoc mediante, conspirant, quippe qui plexus, ad poros bilarios quoque, duodenum, et pancreas, nervos ablegat \*). Propter hunc itaque consensum, facillimum est iudicatu, explicatuque, si dictae partes vitio laborant, si tum liquidum gastricum, bilis, succus pancreaticus, qui humores, menstruum pro digerendis cibis, elaborandoque chylo, alias subministrant, nunc variam intemperiem inducunt: si porro debitus huius eximiae partis tonus laesus, vel alteratus fuerit; magnam inde turbationem, in vniuersa corporis oeconomia, et ingentem plurimorum malorum prouentum exsurgere, adeoque sensum

ingra.

\*) SCHAARSCHMIDT Tab. Neurolog. p. 45. 53.

ingratum propagari ad ea loca, quae cum his dicto modo cohaerent. Bile enim acri existente, et in duodeno haerente, tam vehementes eius, quam praecordiorum stricturas, ardoris sensus, anxietates \*), aliaque saeva excitari symptomata, ratio, et experientia docent. Hanc forte ob causam SYLVIVS iam, et HOFFMANNVS in scriptis suis asseruit, scaturiginem plurimorum morborum in duodeno quaerendam esse. Praesentis tamen instituti ratio non permittit, fusius inquirere, quomodo in hoc intestino plurimae causae morbificae prognerentur, et qua ratione, in partes etiam distitas agant, suamque, exercent Tyrannidem. Fusius enim in Dissertatione hic habita, hoc argumentum profecutum est \*\*).

## §. X.

Paullo accuratius proinde re expensa, praecipuam Febris Asodes sedem, praeter ea, de quibus infra agetur, in ventriculo, et canali Intestinorum, imprimis Duodeno, collocandam esse arbitror. Nam anxietates illae, angustiae circa praecordia, nausea, ad vomendum procliuitas, *cet.* §. I. vix aliud quidquam designant, quam huius morbi sedem, in ventriculo ac primis viis esse quaerendam, atque symptomata, nunc ab acri, nunc a viscido nervos obsidente et irritante, et simul thoracis viscera alterante, deriuanda.

## §. XI.

Perspicui itaque potest, ex praecedentibus hucdum adductis, ratio symptomatum, in affectu nostro occurren-

B 2

tium.

\*) Imo turbatio secretionis bilis in hepate, e causis dictis, angustias non leues, et difficilem respirationem, efficere potest, unde ea frequenter ante istius manifestationem observatur, et

\*\*) Sub Praesid. Excell. SCHMIDTII de dignitate duodeni in diuidendis morbis.

rium. Anxietas enim illa intolerabilis, quae praecipuus Febris Afodes est character, utique pro specie spasmi est habenda. Hic enim spasmus, ad diaphragma, pulmones et cor tendentes, nervos confringit, liberumque sanguinis per has partes progressum intercipit \*). Inquietudo autem illa, siue iactatio corporis continua, quae anxietatis comes est, et vnde statum praesentem Diuus HIPOCRATES \*\*) *πυρετός ακρόαδεις* vocauit, prouenit identidem a vellicatione neruorum, circuloque sanguinis per alias partes inaequali, atque impedito. Vnde aegri crebrius lectum, situmque mutant, varias decubitus formas expetunt, et impatientes certi loci, varie sese iactant. modo se eleuando, modo deiiciendo, modo in latus, modo in ventrem, vel aliam partem, corpus, atrocissimis exacerbatum doloribus, disponendo. Nausea, tanquam molestum atque singulare Febris Afodes signum, nequaquam praetereunda est, quae plerumque nuncia est, insequentis vomituritionis. Ista vero ab irritatione, et constrictione, membranac nerueo muscularis ventriculi, et simul oesophagi, oritur. Singultus quoque in hoc morbo saepe obuius, etiam ab affecto ventriculo, et per consensum affecto quoque diaphragmate, per cuius musculosam partem oesophagus transit, natales suos ducit. Deinde oesophagus nervos §. VI. ex pari vago et intercostali oriundos, cum ventriculo communes habet. Accedit phrenici quoque nerui affectio, qui, affecto diaphragmate, insigniter patitur, atque inde pectus, per quod transit, angustum admodum reddere potest. Haec itaque con-

) Imo hic spasmus obseruante *H. Astr. PRAESIDE* ad musculos masticationi inferuientes saepe delatus est ita, vt in tali febre maxillae Inferioris spasmus enatus sit, ipsaque loquendi impotentia.

\*\*) Lib. de *dieta acutor.* et a bilioso rodenteque humore, causam quoque deriuauit *GALENVS Comm.* ad *HIPP. Prorrh.* Conf. Ill. B. van *SVVIETEN Comm. ad Aphorism.* *BOERHAAV. Tom. II. p. 201.*

connexio euentissimam suppeditat rationem, qua affectus, vellicatus, constrictusque ventriculus, vicinum diaphragma, in mali sui, et spasticae contractionis, rapiat communionem.

## §. XII.

Ex his quae adducta sunt §. XI. abunde demonstratum arbitror, spasmus vehementem, in hac admodum sensibili neruea, quae cum tot locis consentit, §. VI. parte ventriculi, tantum symptomatum cumulum inducere posse. Hic enim omnes nobiliores corporis partes, in consensum trahendo, omnem motuum ordinem, progressum sanguinis nempe, et excretiones, atque secretiones peruertit, hisque interceptis, multas ex his dependentes laesiones progenerat. Attamen haec vellicatio neruorum, siue spasmus, non pro causa efficiente, ut quidam statuunt, habenda est: Sed tantum pro effectu suae causae. Facile itaque quisque perspiciet, parum aegris eum consulturum esse, si vnicę stricture illae tollendae allaborat medicus, nec simul, vel primario, cura in tollenda viscerum vitia, praecipue ventriculi, atque Intestini duodeni, tanquam fontem horum symptomatum, dirigatur.

## §. XIII.

Explicatis symptomatibus §. XI. Febris Asodes frequentioribus, eiusque praecipua sede §. X. inquirendum nunc quoque est, in originem, causasque eius proximas. Atque cum Febris Asodes cum intermittens, tum continui generis esse possit, sequitur, in vtriusque febris ratione quaedam sita esse, quae generationi Asodis Febris fauent.

## §. XIV.

Febres in genere duplicem causam, eamque formalem, atque materialem, agnoscunt. Formalis vero, ut ita loquar,

causa, consistit in spasmodica vniuersi generis nervosi affectione. Id vero luculenter omnia, quae in Febre praesto sunt symptomata, comprobant. Quid enim aliud denotat frigus, horror, palpitations cordis motus, praecordiorum anxietas, spiratio difficilis, inquietudo, corporis iactatio, nausea, inclinatio ad vomitum, cet. quam affectum spasmodicum §. XI. Quidquid igitur totum nervosarum partium systema, ad spasmos irritare potest; id ad Febrem generandam, causamque eius materialem ponendam, erit aptissimum. Complures autem huc concurrere causas, experientia comprobat, quae propter differentem suam indolem, et materiae, quae noxam infert, corruptionis differentem gradum, et varium quo nervosum genus infestant modum, diuersas progenerant Febres, vt nonnullae sint primariae, aliae secundariae, vt inflammatoriae, aliae benigniores, nonnullae maligniores, aliae intermittentes, aliae continuae, exanthematicae, et plures aliae Febrium species. Praecipue tamen inter Febrium intermittentium causas, viscidae, corruptae et biliosae primis in viis haerentes cruditates, referendae sunt. Id quod et a posteriori monstrant adpetitus prostratus, et nausea, et vomitus quoque saepiuscule pituitoso biliosi.

## §. XV.

Quaecunque itaque viscedinem, atque acrimoniam in humoribus biliosam producere valent, inter causas Febrium imprimis Intermittentium, merito erunt referendae. Omnes enim febres Intermittentes, viscedinem, et acrimoniam quandam supponunt §. XIV. Quando autem humores a naturali sua indole deficiunt, alieni fiunt, et corrumpuntur, partesque corporis afficiunt, tum inter alia ad vitium motus eorum respiciendum est, siquidem mora, stagna-

stagnatione, stasi, maxime corrumpuntur succi, et a crassi-  
sua conueniente, in nocentem degenerant dyscrasiam.  
Quodsi contra humores iusto per vasa prouoluuntur mo-  
tu: non modo a corruptione liberi manent; sed secretio-  
nes quoque, et excretiones debite procedunt; vnde et abi-  
gitur, quod massam humorum conspurcare, et secretos  
quoque, viscidiores reddere potest.

§. XVI.

Cum materiae peccantes in Febris Intermittentibus  
sint humores praecipue visceri, atque biliosi, Febris vero  
Asodes ab his quoque suam trahat originem, sequitur, vt  
eam quoque, quam Febres Intermittentes supponunt,  
agnoscat causam, eamque satis validam. Probant vero, tale  
viscidum, cum acrimonia quadam iunctum, in Febris  
Intermittentibus oriundis praesens esse, primum vitia diae-  
tae, quae commissae, talem febrem post se trahunt. Quid  
enim solennius est, quam vt ii, quibus lautum, et desidio-  
sum viuendi genus est, et ii qui siccioribus, crassioribus,  
in difficiliorem digestionem, et corruptionem pronis, ci-  
bis vtuntur, quam vt humores viscidos et acres progene-  
rent, et in Febres frequentissime incidant. Copiosissime  
etiam testantur obseruationes, et per constantem confirma-  
tum habemus experientiam, circa vernum tempus, et Men-  
se Octobri, sub insignibus aëris et tempestatum, ex calida,  
in frigidam, et ex frigida in calidam, mutationibus, ven-  
tisque repente, ex contraria plaga, se inuicem excipienti-  
bus, corpora tam sanguine, striete sic dicto, quam sero  
plena, inde facillime laedi, et febrem a diuersa hac aëris  
constitutione oriri. Aere enim calido simul et sicco existen-  
te, serum diluens dissipatur, humores inspissantur, eo-  
rumque acrimonia augetur. Frigidus vero, stringendo pe-  
riphe-

XVI DISSERTAT. INAUGVR. MEDICA

ripheriam, supprimit praecipue transpirationem insensibilem, humores magis cogit, eosque reddit viscidos, et acres, vt adeo inde quoque causa Februm emergat. Medicamenta quoque viscidum resoluentia, digestiua, et euacuantia, et tonica, cum discretionem tamen atque iudicio vsurpata, quae secundum iustas indicationes, optimo cum successu adhibentur febribus Intermittentibus, euincunt, dum his causa Februm tolli potest, causam in viscido, et acri, potissimum ponendam esse.

§. XVII.

Febris itaque Afodes, quando ad intermittentem accedit, causam esse proximam, saburram primarum viarum, siue viscidum et biliosum, hucusque non sine ratione dictum est. Ex praecedentibus tamen patet, et praemonitum est §. IV. XIII. plures supponere hanc febrem causas, et summam quoque angustiam in *continuis* etiam oriri *Febribus*. Iam non immerito peruestigandum mihi videtur, vnde haec angustia, suos ducat in his natales. Verum quidem et difficile, et nimis longum foret, quod si omnes enarrare, atque determinare causas Februm Continuarum vellem. Sufficiat tamen scire, continuas Febres, saepiuscule, inflammatorii quid, siue a qualitate praua acri, id est sanguine viscido, et bilioso, siue a quantitate nimia molesta humoris cuiusdam, siue a subsistente in vasculis minoribus humore, alere. Proxima vero causa inflammatorum, est stasis humorum, quae dependet a viscido inflammatorio, vnde resistentia oritur, versus quam nititur humorum, nunc celerius motorum, congestio. Pro loci tamen affecti indole, diuersae quoque sunt Februm acutarum et inflammatoriarum species.

§. XVIII.



## §. XVIII.

Causa nonnullarum Februm continuarum est viscidum, phlogisticum dictum, et exinde producta stasis §. XVII. Febris vero Afodes has etiam supponit causas, siquidem ex harum diuersis oritur speciebus §. XIII. Quid enim solennius est, quam, si pleuritis, vel peripneumonia, vel vtraque complicata, praesto est, et sic pulmones, et iis adnexae membranae, vel etiam arteriae pulmonales, earumque fines, tali obruantur viscido, vt liber sanguinis circulus turbetur, et inflammationes, dolores acuti, sensui, summae anxietates, spirandi difficultas, cet. progesserentur. Talia vero in aliis etiam partibus, vt ventriculi, intestinorum, vel aliorum viscerum, inflammatione affectorum, exoriri symptomata, experientia constanti confirmatum habemus. Ex consensu enim, quem inter se alunt, producuntur non solum supra nominata symptomata: verum nausea quoque, vomitus, dolor praecordiorum, iactatio, tremor manuum, adest \*). Obstaculo itaque in vasis nato, vix aliter fieri potest, quam vt humores redundant, vasa distendant, sic angustias creent, atque cor, ex irritatione ad vltiorem actionem sollicitent.

## §. XIX.

In negotio porro eruptionis diuersorum exanthematum, quae ingentem humorum excrementitiorum salino sulphureorum, et mucido corruptibilium, copiam supponunt, Febris quoque Afodes, adesse potest. Neque hoc mirandum. Notum enim praxin clinicam exercentibus est, priusquam materia illa morbifica, v. c. in variolis, morbil-

\*) Conf. Comp. Medic. DE GORTER. Tr. 52. §. 47.

lis, purpura, scarlatina, *cet.* versus peripheriam corporis propellatur, partes interiores diuersimode affici, et periculi plena produci symptomata; posteaquam vero vi naturae expulsa est, quae expulsio quoque, praesertim circa tempora critica, novos et auctos labores poscit, hinc molestiam, et inquietudinem creat \*), illico omnia mitigari. Quodsi tamen exanthemata, quae in cute effloruerant, cuiuscunque fuerint generis, quorsum etiam scabies interdum pertinet, et quocunque etiam repellantur modo, tunc non sine ingenti periculo, ad interiores migrant partes, vbi ferales spasmos, anxietates, inquietudines, atque inflammationes efficiunt. Plerumque etiam hanc fatalem repulsionem, funesta sequitur mors. Materia enim exanthematica repulsa, maiorem quam antea, et instar veneni subtilis, virulentiam inuoluit, et massae humorum destructionem, et viscerum nobiliorum, quae nunc obsidet, inflammationem periculosissimam efficit.

## §. XX.

Luculentissime ex praecedentibus hucdum allatis patet, et vix vltiori indigere demonstratione arbitror, Afo- dem, Symptoma plane singulare esse, Februm, tam Intermittentium, quam Continuarum, summamque semper mereri attentionem. Quo enim validior fuerit anxietas, atque diutius durauerit; eo deteriora mala semper sunt expectanda, imo interdum subita mors metuenda. Stagnante enim sanguine, imprimis circa viscera corporis vitalia, nascuntur inflammationes, vasorum repletiones, nervorum compressiones, liberae circulationis sufflaminationes, imo saepenumero polyposae concretiones, quae diras palpitationes,

\*) BOERNAY. Instit. §. 936. 937.

tiones, lipothymias, dyspnoeam, suffocationes, et plurima alia pessima efficiunt mala \*).

## §. XXI.

Inuestigata, quantum arctum temporis permittit spatium, potiori sede, explicatis symptomatibus, atque causis Febris Afodes, operae tandem pretium erit, ut ad alteram speciminis partem, practicam nempe, descendam, et quasdam generales curandi regulas tradam. Verum enim vero, quemadmodum in omni medicatione dextre adornanda medicus ad varias generis causas, et alias atque alias circumstantias, et symptomata debet respicere, quo iis remouendis idonea et efficacia, conuenienti tempore, opponere possit remedia: ita etiam in hoc adeo praecipiti, graui, et periculi pleno affectu, severo semper inquirendum est examine, in causam anxietatis, et locum in quo resideat; nec cum anxietate hypochondriaca, atque hysterica \*\*) in qua febris abest, nec cum ea, quae cum *incubo* coniuncta est, et ea quae ab animi producitur pathematibus, confundenda. Perspecta itaque sic indole, atque causa morbi, ex signis suis, tanto facilius, et exoptato cum fructu, medela adhiberi potest.

## §. XXII.

Causam variam Febrem Afodem agnoscere, spasmodicam nempe, quae ex viscido oritur, et acri §. XI. XII. et inflammatoriam §. XVIII. et eam, quo excretiones exanthematum moliantur §. XIX. dictum est. Quapropter non alienum a re mea futurum erit, si breuissime subne-

C 2

etiam

\*) Conf. BOERHAV. Aphor. §. 632.

\*\*) Conf. *Illustr. Praesid. Dissert. de aestu volatico.* §. 6. 14.

Etiam signa, ex quibus cognosci possunt causae praenominatae. Si igitur a causa oritur Febris Asodes inflammatoria, ea cognoscitur ex alteratione viscerum vt plurimum vitalium, aestu scilicet continuo, saltem tantum remittente, pulsū nempe duriori, vacillante, et inaequali, item respiratione perpetuo adeo difficili, anhelosaque, extremorum frigore \*) caeterisque signis, ex theoria inflammationum desumendis. Si vero causa subest magis spasmodica, in intermittente febre, tunc respiratio magis in paroxysmo impedita, nec pulsus perpetuo alteratus, intolerabilis tamen sensus circa praecordia percipitur \*\*), vbi simul ad typum febris respiciendum est, et ad excreta, ad constitutiones epidemicas, atque curatio ita instituenda, vt causis suis respondeat.

## §. XXIII.

Quum, vti dictum est, causae huius mali differant, diuersae quoque curandi indicationes sint, necesse est. Igitur vbi aduertitur affectio spasmodica, quae a saburra primis in viis collecta, siue viscido, et acri producitur: tunc praecipue sequentibus absoluetur indicationibus. Primo, vt materia peccans et digeratur, et vbi vrget, per commodissimam eliminetur viam. Secundo, vt spasticae illae stricturae, quae sanguinem validius congerunt, moderentur, et sic liberior et aequalis sanguinis circulus, per rotum corpus reddatur. Tertio, vt tonus, vel robur ventriculi, intestinorumque, a dolorum et spasmodorum violentia labefactorum, idoneis restituatur remediis.

## §. XXIV.

\*) vid. Excell. GEORG. GOTTL. gent. adstrict. Goetting. 1751. Cap. RICHTER *Dissert. de voce naturae*, IV. §. 1. 3. 4. seu sensibus internis var. corp. indi. \*\*) l. c.

## §. XXIV.

Ad obtinendum primae Indicationis scopum, primo salia digestiua media, adhiberi possunt. Quo magis autem saburra vrget, ad eam via breuissima eliminandam, apprime quoque in principio morbi conducunt emetica. His enim contenta ventriculi, et ex mora alias deteriora reddita, educuntur, et mala inde nata facilius tolluntur. Verum tamen non facile vltra Radicem Ipecacuanhae, vel Tartarum emeticum, rite praeparatum, et ad grana duo propinatum, ascendendum erit. Validiora autem, vti vitrum antimonii, crocus metallorum, aliaque huius prospapiae, excludenda sunt. Haec enim acrimonia sua salino sulphurea, veneni naturam imitantur, et in vehementissimos spasmos genus neruosum coniciunt: dicta autem, non tam valide afficiunt tunicas ventriculi neruosas, nec, post operationem, dispositionem ad vomitum relinquunt, sicut ea, quae ex stibio, non satis cicurato, parantur. Praestat tamen ad faciliorem, et maiori cum euphoria, operationem, cum sufficiente vehiculo humectante, et diluente ea offerre, vt vbi-que aequaliter diffundantur. Quodsi vero materia illa viscida, acris, in intestinis haereret, nec emetica, propter contra indicantia, in vsum vocari possent, purgante medicamento, per aluum ea optime educitur. Leniora tamen hic quoque conueniunt, vt sunt Mannata, Tamarindinata, Rhabarbarina, Cremor Tartari, Sal Anglic. Sedlizense, Polyehrest. de Seign. Drastica vero ita dicta purgantia resinosa nocent. Clysmatibus Carminatiuis, et emollientibus quoque, vbi subiecta admodum tenera sunt, et nimis debile genus neruosum possident, succurendum.

## §. XXV.

Euacuatis sic noxiis humoribus, secundum medendi momentum, in eo versatur, vt spasticae stricturae moderentur.

XXII DISSERTAT. INAUGVR. MEDICA

rentur. Quamuis autem quidam forte existiment, si causa, siue materia morbifica, e corpore propellatur, effectus quoque cessare; experientia tamen rerum magistra loquitur, et comprobat, non semper spasmodum atrociam statim posse tolli. Horum enim talis indoles est, vt iis partibus, quas semel, vel iterum occuparunt; iis talem inducant habitudinem, vt postea, vel leui accedente causa, easdem spasticas stricturas repetant. Quantum vero boni sperare liceat, a prudenti anodynorum vsu, in anxietate tollenda, Clariss. iam SYDENHAMVS in scriptis suis docuit. Satisfit itaque indicationi secundae, per Antispasmodica, sedatiua, temperantia, siue anodyna, quae partim ob principium leue acidum et correctum, partim ob sulphureum vaporosum cicuratum, tonum aequaliter distribuunt, et insigniter motus effraenes complacant. Hanc vero in classem, iure meritoque referendus est Liquor Anodynus min. Hoffm. qui vel solus, vel cum paucis guttulis balsami vitae eiusdem vsurpatus, cito et egregie conducit. Spiritus quoque Nitri dulcis rite praepar. insignem operam praestat. Spectatae quoque virtutis sunt pulueres temper. Nitrosi, antispasmodici, cum aquis appropriatis propinati, quibus vrgente necessitate, granum vnum MP. de Cynogloss. vel de styrace adijci potest. Vt tamen caueamus, ne his vltius procedendo, soporem inducamus, qui praeter ea, in nonnullis febribus intermittentibus, mali ominis est \*).

§. XXVI.

Tertia Indicatio inuoluit, vt labefactatarum partium tonus, siue robur, per congrua restituatur medicamenta,

VI

\*) Vberiori sermone illud com- TI therapeut. Special. ad febr. pe-  
monstrante ill. WERLHOFFIO in ob- riod. pernicios. p. 177.  
ser. de febribus, et FRANC. TOR-

vt ita motus humorum progressius, et inde pendent, secretionum et excretionum debitarum functiones, libere iterum succedant. Huic negotio, egregie satisfaciunt, Elixiria amara, vel stomachica, vti est Hoffman. Michael. Essentiae, vt Cort. Chinae, Cascar. Aur. cum Essent. Gentian. rubr. permixtae. Praecipue autem ipse Peruuianus cortex, in substantia, vel in electuario, ope syrupi aurantiorum confecto, propinatur, de cuius admirabili effectu, quando praemissis praemittendis, et secundum iustas indicationes, exhibetur, tot pulchra testimonia loquuntur.

§. XXVII.

Iam me ad eam Febris Asodes superandam causam, quae viscidum phlogisticum supponit, confero, et quibus succurrendum est remediis, paucis monebo. Aliam enim, vt quilibet mihi largietur, requirit curam, ac ea causa, de qua nunc diximus, maiorem quoque meretur attentionem, et subitam poscit medelam, dum maius alit periculum, sub qua aegri citius, quam illa, occumbere possunt. Potissimum tamen curationis momentum, situm est, in sanguinis missione, et dilutione atque discussione humorum viscidorum inflammabilium.

§. XXVIII.

Satisfacit itaque Indicationi primae, Venae sectio larga, hac enim in omnibus inflammatoriis Febribus, tam ad praecauendum inflammationis incrementum, quam eam curandam, nihil vtilius est; quae, quo citius administratur, eo plus auxilii praestat. Curandum tamen, vt pro viribus, et quantitate sanguinis, nec nimium, nec parcius, extrahatur. Quodsi enim iusto plus emittitur, stasis sanguinis dissoluenda, dum nunc vi-  
res

XXIV DISSERTAT. INAUGVR. MEDICA

res labefactantur, et vasorum collapsus oritur, magis obfirmatur, aut in gangraenam, sphacelum, aliaque mali generii transit vlcera: Si autem minus, parum iuuat, et inflammatio increfcit: prouti quoque, quando nimis tarde in auxilium trahitur, coctionis negotium, iam forte coeptum, turbatur.

§. XXIX.

Post sanguinis euacuationem, diluentibus prosequendum atque discutientibus, quae sanguinem, serum, ac humores reddunt tenues, et fluxiles, crassos vero ac spissos colliquant, et simul blandam mouent diaphoresin. Hunc igitur in finem, si pulmones praesertim spectes, conducunt Infusa Theiformia, v. c. ex Rad. Glycyrrh. Hb. Veron. Scord. chaerefol. Salu. Fl. Bellid. sambuc. Sem. Foenic. parata, et calide vsurpanda, quae sanguinem per canales meabilem reddunt, et eius stasim impediunt. Decocta quoque paullo liberalius data, ex Hordeo mundo, Rasur. C. C. Rad. Scorzoner. cum Syrup. Acerositar. Citri, egregium promittunt leuamen. Mixturae dein discutientes, et leniter diaphoreticae, ex Aq. Card. Bened. Scabios. Fl. Sambuc. pauco Acer. destill. Lapid. Cancr. Antim. diaph. Syr. Papau. Rhoead. paratae, egregio erunt praesidio. Nitrosa denique, quoniam in resoluendo viscido inflammatorio, et orgasmo contemperando, magnum praestant effectum, nullatenus intermitienda, sed potius aliis remediis iungenda.

§. XXX.

Priusquam finem dissertationi imponam meae, et vela contraham, hoc quoque monendum est, vt, si Febris Afodes,



Asodes, ex difficili exanthematum eruptione, vel horum recessione, natales suos traheret §. XIX. conuenientibus obuiam eatur remediis, eaque versus peripheriam corporis promoueantur. In hoc vero casu, egregie se gerit Liq. Anod. min. cum Essent. Alexipharm. temperata, et in nonnullis subiectis, Spirit. Bezoard. Buffii, commixtus, et paruis refractisque dosibus oblatu. Non solum enim eruptionem exanthematum promouet: verum etiam efficaciter horum materiam virulentam retropulsam, ab internis, ad superficiem corporis, expellit. Potui etiam inferuire potest, Corn. Cerv. cum hordeo et Cort. Citr. decoctum. Cum denique, prudentis sit Medici, vt pro diuersitate causarum Febris Asodes, ad eas remouendas, medicationem dirigat, et singulis praesidia opponat congrua: eo quoque respicere debet, vt, si forte vera adfuerit, et striete magis dicta, febris biliosa \*), vnde angustiae oriantur, remoueatur blandissime, et quantocyus materia, ne diu in primis viis conclusa, et ventriculo, duodeno, imo et hepatis, inflammationem inducat, et *causam* inferat. Deinde si maxima pars, et sponte natura, euacuata fuerit, reliquiae absorbeantur, inuoluantur, corrigantur, simulque symptomatum ratio habeatur, quo quoque iam supra §. XXIV.

XXV. respeximus.

## T A N T V M.

\*) Ad quam febrem praecipue Asodem et Leyppiricam referunt. Conf. IVNKER Consp. med. Pract. pag. 506.

Freund, den mein Busen schon in ienen Gränzen ehrte,  
 Wo unser lauschend Ohr ein weiser Szaſky lehrte;  
 Mit dem mich Redlichkeit, und Treu, und Vaterland  
 Auch hier im MusenSiz ächt und genau verband.  
 Dich sieht mein Auge heut so Ehr als Ruhm umkränzen,  
 Des Purpurs rothen Strahl von Deiner Scheitel glänzen,  
 Der Weisheit Göttinn krönt Dein flug und würdig Haupt  
 Mit Schmucke den kein Glück noch Zeit noch Moder raubt.  
 Die Stirne, die noch oft bey weissen Büchern schwitzte,  
 Wenn nach durchwachter Nacht die MorgenRöthe blitzte,  
 Die Stirne trägtet jetzt den lang verdienten Lohn,  
 So nur die Würdgen ziert, mit lob und Preis davon.  
 Dieß fühlte mein redlich Herz, und folgt Dir auf die Stufen  
 Zu denen Ehre, Dich, und Fleiß, und Vorzug rufens;  
 Es fühlte des Freundes Glück wie es sein eignes fühlte,  
 Das dunkle Zukunft noch in Schatten eingehüllt.  
 O Lipſky könnt ich Dir in ähnlich würdgen Bildern  
 Die Freude meiner Brust, und ihre Regung schildern,  
 Wie zärtlich sie Dich liebt! wie sie Dein Glück rührt!  
 Und was für Wünsche sie in ihren Schranken führt!  
 Das Land so Dich gezeugt, wo Milch und Honig fließen,  
 Will Dich nun wiederum in seine Arme schliessen;  
 Es fordert Dich zurück, von Ehr und Ruhm unkrönt,  
 Eilst Du dem Lande zu, das sich nach Dir gesehnt.  
 Dein Abschied thut uns weh: den Schmerzen den wir fühlen,  
 Kann nur das nahe Glück so auf Dich wartet stillen;  
 Geh hin geliebter Freund, mein Herze, das Dich kennt,  
 Weiß, daß Entfernung nie die wahre Freundschaft trennt.

Der

Der Himmel seegne Dich! sey stets das Heil der Kranken!  
 Das Glück möge nie von Deinen Schritten wanken!  
 Und gönnst Du diesem Blatt zuweilen einen Blick,  
 So denk an Erlang, mich, und meinen Wunsch zurück.

Erlang den 22ten Aprill

1764.

Nehmen Sie,  
 Hochgeehrtester Herr Doktorand,  
 diese Reime als ein Denkmal meiner Freundschaft  
 und Ergebenheit an, und gedenken Sie manchmal an

Ihren

gehorsamen Diener und wahren Freund  
 Bernhard Samuel Matolai von Bosna,  
 d. b. R. B. u. der Erlanger deutschen  
 Gesellschaft ordentl. Mitg. lied

\*\*\*\*\*

*Accipe promeritos, Erlangae Asclepiadeus*  
*Quos ordo confert lauros AMICE TIBI*  
*Iam felix faustus, patriam contende benignam,*  
*Adspirent caeptis, fata superna TVIS.*  
*Haud ita nos pridem, vinco coniunxerat arcto*  
*Desiderandus amor, continuanda fides:*  
*Linquere nunc mandat, fortuna aduersa sodalem,*  
*Qui colit aeterna, condita iura, manu.*  
*Sit TIBI iter felix; nec quidquam vincula rumpat,*  
*Quae nos iunxerunt: haec mea vota: Vale.*

vt exstet posteritati monumentum intimi amoris.  
 nobilissimo doctissimoque

DOMINO CANDIDATO

gratulabundus adiecit  
 SAMVEL THESEDIK,  
 S. S. Th. et Ph. Stud. H.

*Meritos*



*Meritos acquiris honores  
 Operis Cultissime LIPSZKT!  
 Laudandi perque iucundi.  
 Animo quum sane vigenti  
 Integros atque refectos  
 Vel promte sufficis artus.  
 Hoc magni delectantur,  
 Paruos miserosque relaxas.  
 Igitur tua tempora laurus  
 Digne circumdat amoenus.  
 Atque haec dum sole corusco  
 Patriae bis dulcia iuua  
 Sternis Pieridum ad aras,  
 Merito et mea Musa sub umbris  
 His, decantare perennes  
 Hilavis, suscepit, honores.  
 Sis Felix! ingenioque  
 Praestanti munere claro  
 Felix respondeat aeuum.*

Quantulacunque haec Nobilissimo Domino  
 Auctori, Amico aestumatissimo ex animo  
 gratulabundus, scripsit

FRIDERICVS GOTTLIEB GRAY  
 Cibinio - Transylvanus S. S. Th. Cultor.



FACULTATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA ERLANGENSI  
H. T. D E C A N V S  
D. HENRICVS FRIDERICVS  
D E L I V S  
ACTVM PROMOTIONIS  
SOLEMNEM  
QVATVOR MEDICINAE CANDIDATORVM  
INDICIT

---

DE  
PVLSV INTESTINALI  
PAVCA PRAEFATVS.

---

ERLANGAE  
TYPIS WALTHERIANIS. MDCCLXIV.

HIPPOCRAT.


*de Arte. XXII.*

---

*Natura autem stimulata et impulsa, artis peritis,  
quas facienda sunt, demonstrat.*

---

---



## DE PULSV INTESTINALI.

---



### §. I.

**P**ulsus arteriae, qui in duplici eiusdem actione diastole scilicet et systole, consistit, ita ut diastole a sanguine, vi contracti cordis, in arteriam irruente, systole a reagentibus arteriae membranis, oriatur, in tanta cum ipso corde communiione, sine dubio plura observanti medico subministrat, ex quibus, variata pulsus indole, nunc magno, parvo, celeri, tardo, longo, breui, pleno, vacuo, duro, molli, eurythmo, arhythmo, *et.* ad indolem cordis agentis, virium vitae, et functionum reliquarum, adhibita recti iudicii lance, concludere potest. Mirum itaque non est, pulsum in morbis tantopere explorari, et inde varias diagnoses et prognoses formari, quanquam hae fallaces omnino esse possint, nisi individuorum, signorum sociorum, et variarum alterationum causae, inter quas et morales pertinent, simul considerantur.

## §. II.

Mira sunt, quae SINENSES e pulsu praedicare posse crediderunt *a)*. Intricata equidem sunt, et variis obscurioribus terminis inuoluta, et circulationis theoriae non satis analogae, quae circa eundem pronunciant, quo praecipue variarum artieriarum, quas tangunt, cum singulari cerimonia, electio, pertinet. Interim non plane de nihilo sunt, quae dicitant, dum e pulsu, singulorum viscerum, v. c. cordis, pulmonum, renum, ventriculi *cc.* statum determinare satagunt, vnde *pulsibus, viscerum affectorum, nomen* quoque imponere solent.

## §. III.

Nōstris temporibus plures hanc viam, nec sine omine, calcare rati sunt. Inter hos praecipue Hispanus medicus FRANC. SOLANO DE LVQVE *b)* eminent, qui tanta polluit in diiudicandis morbis, e pulsu, sagacitate, vt fidem superare videantur ea, quae praedixerat, nisi nubes testium adfuisset, ipseque NIHELLVS, medicus. Anglus, dum in Hispania medicinam faceret, de facti veritate laetus conuictus esset, et ipse, vti quoque Cl. NOORTWYK, experimenta instituisset. Postea Cl. de BOARDEV *c)*, et MICHEL *d)* haec vestigia, omni adhibita opera, calcarunt, et mira e pulsu, vario modo alterato, praedixerunt.

## §. IV.

Nunc non circa ea versabimur, quae de pulsu *dicroto et inciduo*, tradiderunt, dum ex eo obseruato nunc haemorrhagias, praecipue narium, nunc sudores, praedixerunt; nec nexum inter causam et effectum, vtrorumque fiendi modum, nunc explicabimus. Subsistamus tantum circa pulsum *intermittentem*.

## §. V.

Terribilis saepiuscule est *intermittens* pulsus, siquidem, quando post aliquot ictus, tempore rite mensurato, vnus vel plu-

*a)* IO. BAPT. DV HALDE Beschreib- *c)* Recherches sur le pouls, par rap-  
bung des Chinesischen Reichs P. III. port aux Crises. Paris 1757.  
p. 449. seq.

*b)* Nou. obseruat. circa Cris. praedict. *d)* Nouvelles obseruations sur le Pouls.  
ex pulsu. Par. 1757.



plures deficiunt, inde ad vim vitae, cordisque, fractam, et labilem e), imo ad polypum, qui vel sanguinis in cor reditum, vel eiusdem in arteriam irruptionem, impediatur, nec non ad humores exhaustos interdum, concludere solent, et pro pernicioso, et, si simul debilis, parvus, durus, fit, pro mortis breui secururae indicio, habent.

## §. VI.

Sed, quanquam talia intermittens pulsus praedicata, rebus inter se debite comparatis, vera esse possint; tamen interdum mitior formari potest prognosis, ita ut pulsus intermittens non ubique statim terrere debeat medicum et aegrotum. SOLANO f) enim iam obseruante, praecipue solet esse index *diarrhoeae*.

## §. VII.

Nos equidem similia saepiuscule obseruauimus. Inter alia recordamur viri sexagenario maioris, adhuc viuentis. Hic ex aëris ventosi, cui se exposuerat, iniuria, ante quinque, et quod excurrit, annos, in peripneumoniam incidit, quae in primo morbi septenario, in aetate adeo profecta, et corpore admodum imbecillo, pulmonibus antea catarrhis saepenumero vexatis, pessima minabatur. Interim legitima adhibita curatione cuncta sensim in meliora vertebantur. Die decimo morbi male sese habebat aegrotus. Pulsus explorans, is, non admodum celer, post vigesimum, duodecimum, decimum, octauum, ictum, non seruato ordine, intermittebat. Intercurrebant singultus, et frigus extremorum. Quis in hoc rerum statu pessima non timeret? Interim aegrotus mente constabat, et, non omnia conclamata esse adhuc, iudicabam. Altero die *diarrhoea* corripiebatur satis larga aegrotus, quae ex eo originem trahebat, quoniam, tempestate amoena facta, non satis circumspecte lectum, per aliquod tempus, liquerat. Pulsus adhuc intermittens erat, sed tantum post trigesimum, vigesimum, duodecimum ictum, qui porro, restituto aegroti, sensim naturali simillimus evasit.

)( 3

## §. VIII.

e) BOERHAAV. Inst. med. §. 965. 966. et Praelect. T. VI. p. 310. LOMMVS obseru. p. 284. 285.

f) Nov. Obseru. p. m. 6. 69.

## §. VIII.

Pulsus intermittens supponit varias causas, vt virium defectum, cordis et arteriarum spasum, et temporarium rigorem, imo et quietem, resistentiam a polypo, vel in pulmonibus impacto humore, aneurysina, *cet.* Praecipue autem notat vndae sanguinis, e corde alias expulsaе, defectum. Dum itaque aorta eandem sanguinis copiam, ac antea, a corde non accipit, non quoque eodem modo distendi reliquae arteriae queunt. Hinc diastole arteriae, per hoc tempus, ideoque pulsus, non obseruari potest; intermittit itaque.

## §. IX.

Expulsio vndae sanguinis, e cordis ventriculo sinistro, deficiens, supponat deficientem nunc debitam sanguinis quantitatem ad eum, e pulmonibus reuersam. Causas ergo oportet adesse, ex quibus non tantum sanguinis ad cor redit, quantum consueto modo expellatur. Hae primo in spasmo ventriculi et intestinorum sitae esse possunt. Hunc in iis obseruamus, quorum ventriculus repletus, vel flatulentia nimis distentus est, qui simul palpitatione cordis *g)* laborant. Restrictus hinc per spasum sanguis in vasis venosis moram patitur, hinc non tantum ad cor refluit sanguinis, quam antea, hinc non tantum expellitur: hinc pulsus ex spasmo ventriculi et intestinorum intermittere potest.

## §. X.

Deinde cum maiore in intestinis laticis secretionem maior exoneratio sanguinis, huc, vel ad simplicem excretionem abundantis, vel ad absterisionem irritantis, congesti, et maior secessio partis serosae, ex vasis in intestina, coniuncta est. Hinc, dum haec fiunt, non tantum sanguinis ad cor redire posse videtur, quantum antea, dum idem sanguinis volumen, quo repleta fuerant vasa, nunc, per factam secessionem, imminutum est, quod secretum nunc per diarrhoeam excernitur. Inde praecipue, ceteris paribus, oritur pulsus intermittens, dum in intestinis,  
eorum-

*g)* Abhandlung von den Blähungen p. 36. 37. et Diss. nostr. de pathem. & flat. §. 17. 18.

eorumque vasis, vnda sanguinis, per interualla, remaner, quae requirebatur, si cor semper eodem rhythmo, eodem volumine, sanguinem eiāculare debet. Ex parte quoque haec, circa veram et copiosam sanguinis per loca haemorrhoidaliam excretionem, obseruantur.

## §. XI.

Cum nunc dicta in *intestinis* praecipue fiant, rebus sic stantibus, *pulsus intermittens*, diarrhoeam praecipue praesagientem, eo respectu PULSVM INTESTINALEM vocare possemus, qui, minitante hac excretionem, inaequalis, non adeo debilis, sed modice fortis est, nec systematice, sed vage intermittit. Durior, frequens, paruus, et non adeo intermittens, est pulsus, quem, post anxietates singulares, vomitus sequitur, qui itaque pulsus, ventriculum adfectum esse, monstrare potest. His obseruatis autem, et reliquis quoque diarrhoeae speciebus, earumque causis, bene pensatis, inde determinari potest, quid medico rationali agendum, quidue non turbandum, sit; Nisi quoque intermittens pulsus nonnullis plane familiaris et consuetudinarius fuerit *b)*, quo casu indiuidui ratio omnino habenda est.

## §. XII.

Ad rationes itaque quodammodo, relatio pulsus intermittens ad diarrhoeam, redacta esse videtur, quae inter mysteria numerata est *i)*.

\*            \*            \*  
\*            \*            \*

Sed quo minus haec vberius nunc deducamus, spatii angustia vetat. Indicandus potius est actus promotionis solennis quatuor medicinae Candidatorum Laetus ex eo tempore, quo a DIVO FRIDERICO condita est academia, et institutus in illustri hac Fridericiana ordo noster medicus, plures vidit viros iuuenes, ad sacra Hygaeae alacriter tendentes. Eorum numerus, qui honores medicos reportarunt,  
ad

*b)* IVNKER *Conspect. Semeiolog.* p. 339.

*i)* NIHELL *animadu. in leges praedict. Solan.* p. 83.

ad octoginta iam accedit. Nunc ex eorum serie NOBILIS-  
SIMI CANDIDATI

GEORG. CHRIST. WEISMANNVS,

WEIKERSHEMIO HOHENLOICVS,

IOANNES GEORGIVS IAHN,

CVLMBACENSIS,

PAVLLVS LIPSZKY,

TRENTSINIO HVNGARVS,

IACOBVS FRIDERICVS BRAVNE,

VHLSTADIO FRANCVS,

postquam in alma academia nostra iis scientiis, quae ad me-  
dicinam pertinent, rite tincti sunt, et consueta examina susti-  
nuerunt, atque haud ita pridem dissertationes inaugurales ha-  
buerunt, summis in medicina honoribus, ritu maioribus solito,  
condecorabuntur. Fiet id crastina, Deo benedicente, luce,  
hora X. a me Promotore constituto, qui SERENISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, DOMINI  
FRIDERICI CHRISTIANI, MARGGRAVII BRANDEN-  
BVRG. REL. REL. RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI,  
singularem in academiam nostram clementiam deuotissimo ani-  
mo venerabor, et oratione inaugurali commonstrabo, quae  
in famoso illo, quem nouiter *de educatione*, sub AEMILII rubro,  
euulgauit libello IO. IAC. ROVSSAEVS, tanquam in pseudo me-  
dicos satyrae, toleranda forte sint, quae autem simul circa me-  
dicinam foueat et euomat deliramenta, merito reprehendam.

Quem actum vt MAGNICVS ACADEMIAE PRORECTOR,  
ILLVSTRIS PROCANCELLARIVS, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI,  
VIRI SVMME VENERABILES, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI,  
AMPLISSIMI, ALMAE FRIDERICIANAE NOSTRAE PROFESSORES,  
DOCTORES ET MAGISTRI, GENEROSISSIMI, NOBILISSIMIQVE,  
qui academiam nostram ornant, COMMILITONES, VRBIS PRO-  
CERES, et quicumque demum bonis literis artibusque fauent,  
praesentia atque beneuolentia sua solenniore reddere velint,  
est, quod, ordinis mei nomine, decenter rogo, atque contendo.

Dabam ERLANGAE, d. XVI. Maii. MDCCLXIV.

(L. S.)